

AD ARTIC. CCV.
ARGUMENTUM.

Judices munera ab Accusatoribus recipere prohibentur.

EXEGESIS.

Circa hunc Articulum notandum est: (1) *Qua occasione Imperator commotus hanc Sanctionem condiderit?* Nempe, quod certior factus sit de abusu quorundam pravorum judicum in causis criminalibus munera recipientium ab accusatoribus. Quod crimen est antiquum, commune, & variis temporibus interdictum. Causa est amor pecuniæ, qui tantus sæpe est, ut fides, veritas, honestas, & justitia venalis sit. Quod tamen malum detestandum est. Nam si jus & justitia non amplius ex integro administratur, verum donis & muneribus judicum animi corrumpi possunt, utique non levem injuriam alteri parti infert judex, unde querelæ oriuntur, quibus turbatur tranquillitas publica; imprimis autem movit Imperatorem ad hanc Constitutionem, quod judices non tantum accipiant, sed & desiderent ac postulent ejusmodi munera ac dona. Si enim illicitum est accipere munera: quanto pejus erit postulare dona ab accusatoribus pro ferenda sententia criminali. Tales autem sententiæ, quæ ita feruntur, vocantur *Venales*, & illæ ipso jure sunt nullæ, si constiterit, illas donis & muneribus ab ejusmodi avaro, iniquo, & impio judicio esse elicitas, in tantum ut si sententia muneribus & donis impetrata sit justa, istæ tamen ipso jure sit nulla. Vide Brunnem. *ad l. 7. C. Qu prov. non est nec. f. 920.* Et si in causis civilibus illud ita procedit, ut sententia à judice muneribus corrupto sit nulla, quanto magis illud in criminalibus, ubi præjudicium, vitæ scilicet, honoris & æstimationis vertitur, verum erit.

(2) *Constitutio prohibitoria de non recipiendis muneribus.* Ante Carolum V. jamdudum Justinianus *N. g. c. 8. §. 1.* ejusmodi munerum acceptationes prohibuit, & quidem satis severè. Nam quomodo justa sententia sperari poterit ab eo, qui muneribus est corruptus. Ita insons condemnari & improbus absolvi poterit.

Duo autem prohibuit Imperator: (1) *Postulationem munerum*, ne scilicet Judex ab Accusatore petat aut postulet munera. (2) *Acceptationem ultrò oblatorum munerum.* Id est, ne Judex & illud recipiat, quod ipsi ab Accusatore sponte offertur, sed puras habeat manus.

X x x x 2

(3) *Causa*